



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Lvcae Pinelli, Societatis Iesv Meditationes De  
Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, Et præparatione ad  
sacram communionem**

**Pinelli, Luca**

**Coloniæ Agrippinæ, 1603**

Christvs Tentatvs. Pvncta Meditationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59560](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59560)

CONSIDERA, quomodo in illo pius  
IESVS, præter crebras contemplationes,  
& continuum quadraginta dierum no-  
ctiumque ieiunium, multas perpeffus sit  
molestias: toto enim illo tempore nuda  
humus illi domus & lectus fuit.

COGITA, quantus stupor fuerit, vide-  
re in loco deserto illum, qui in cælo ado-  
ratur ab angelis, non solum omnicon-  
uersatione humana destitutum, sed etiam  
vt loquitur S. Marcus, versantem inter  
bestias.

## DOCUMENTA.

1. *Difficulus aly persuadebis virtutis studium, si nullam ipse demonstraverit.*  
Christus enim non verbo docet, sed opere.

2. *Qui ex nimio sui amore fugit penitentiam, affligit animam, & se amare nescit.*

3. *Nisi multis te priues commoditatibus, proximo tuo nunquam eris vel adiuumento, vel bono exemplo.*

CHRISTVS TENTATVS.  
PVNCTA MEDITATIONIS.

CONSIDERA, Dominum nostrum post tam asperam penitentiam a Demone fuisse tentatum. Primum, vt ex lapide faceret panem. Deinde, vt se de templo pinnaculo præcipitaret. Tertio, pro-



MEDITATIONES. 169

misit ei omnia regna mundi, si se adoraret.

CONSIDERA peruersam tentatoris intentionem, qui conabatur, si CHRISTVM pertraxisset ad peccatum, impedire generis humani redemptionem.

Ex altera parte considera, primò mansuetudinem IESV, quod à tam vili creatura permiserit se tentari. Secundò zelum, quia dæmon, dum adorari quærit, vt Deo honorem suum eripiat, subitò à CHRISTO repellitur.

DOCUMENTA.

1. *Dæmon semper incipit specie boni vt ingrediatur cum nostra intensione, sed egrediatur cum sua.*

2. *Qui non resistit tentationibus paruis, facile labitur in magnas.*

3. *Consentire malo, est Dæmoni obedire, & Deo honorem suum adimere.*

CHRISTVS MANDVCAT.

PVNCTA MEDITATIONIS.

CONSIDERA, sanctissimam CHRISTI humanitatem post ieiunium tã longam, tantasque molestias, plurimum esse extenuatam & debilitatam: idque non alia de causa factum, quàm vt lueret pœnam pro tuis excessibus, teq; doceret modum

H dum